DEO OPT. MAX. VIRGINI DEIPARÆ,

& Sancto Lucæ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA

PUBLICIS AGITANDA DISPUTATIONIBUS

IN MEDICORUM SCHOLIS

ACADEMIÆ CADOMENSIS,

PRO BACCALAUREATUS GRADU CONSEQUENDO.

Magistro PETRO ANGO, Professore Regio, Præside.

CADOMI,
Apud ANTONIUM CAVELIER, Regis & Academiæ Typographum.

M. DCCXIII.

QUÆSTIO MEDICA.

An Homo à vermibus ?

I.

IN deſcribendis, quæ ad generationem pertinent, mutui amoris officiis papyrus, ut pudica virgo, diſcat tandem erubeſcere, & parcat verbis, quæ pias ſolent maculare aures. Procul hinc Priapus ſtaturâ deformi, procul Fauni cum greſſu incompoſito, procul Satyri noctu diuque libidinem ad ſatietatem uſque revolventes,& petulcorum Deorum genus omne. Supprimenda ſunt velo pudicitiæ, quæ ſcriptis, ore, & animo propudioſi edunt ineptè, quibus abſcondendis non ſit ſatis alta nox. Grande & abſtruſum eſt generationis miraculum, licet frequens & pronum, indoctis æque ac doctis, Philoſophis perinde ac ruſticis myſterium, Artificem miramur, artificium ignoramus; opus & operantem cognoſcimus, operandi modum neſcimus. Tota in generatione verſatur natura, huc tota ſe refert. Generat ubique, & quovis tempore; perpetuò nova abeuntibus ſubrogat. Non aliâ ratione ſemper florens, ſemper eadem. Duæ ſunt naturæ virtutes; altera, quæ efficiat, vis quædam, ſeu motus; altera, quæ huic ſe præbeat, materia. Utraque virtus nihil animati, nihil conſtantis produceret, niſi ſupremus naturæ auctor illam diſponeret, & conſtantibus diſpoſitam conſervaret legibus. Voluit, imperavit. *Germinet terra herbam virentem & facientem ſemen &c. Producat terra animam viventem ſecundum ſpecies ſuas,&c. Factumque eſt ita Et benedixit illis Deus, &c.* Planta ex uno ſemine ſponte ſuâ emergens infinita brevi emittet ſemina, quæ telluri relicta ex ſe & nullo cogente plantas ſimiles nepotibus profuturas fundunt, Vegetant pariter Animalia, nutriuntur, creſcunt: fœminæ vegetationis opus ferunt (ſic planta inſeritur alteri) ſed non producunt ſolæ. Animantibus mari & fœminæ innatus eſt amor, propenſio, & conjunctio, quâ ſublatâ tollitur animalium propagatio, Mares ex naturâ ſuâ fœminis ſalaciores & laſciviores, iſtæ ut plurimum certis tantum anni temporibus orgaſmo tenentur; illi ferè omnibus. Multis unus mas ſe probat fœminis.Columellæ judicio unus Taurus quindecim Vaccis abundè ſufficit. Ariſtoteles tricenas Equas ſingulis admiſſariis tribuit. Totum gregem Aries abſolvit, denas Capras Hircus,&c. Fœtæ marem reſpuunt,quod ſummum eſt conceptionis indiciû. Homo pariter mas calidior,fortior, audax, effrenus, majori fibrarum elatere, ſenſu exquiſito,vivida ſanguinis fermentatione, ſemine magis extimulante præditus ſalacior & laſci-

vior eſt muliere, quæ mollis ſero diffluit, quæ timida, nativo pudori amica, partui educando idonea, morbis plurimis obnoxia. Et ſi quædam cum viris de ſalacitate contendere viſæ fuerunt, una aut altera profeda conſtantes naturæ leges non valet pervertere. Cui bono igitur per ora hominum mulieres traducere ſingulas, inerme & imbelle genus? vis boni in ipſa ineſt forma; hæc illa vis eſt, quæ furentes compeſcuit animos, quæ furentibus arma detraxit, nec illa maledicentiſſimorum conviciatorum dicta valuit continere. Hos cum putidis ſcortiſque infamibus vitam vixiſſe putes, aut cum Bacchantibus potius, quam cum formoſis & pudicis mulieribus. Frequens enim eſt concordia formæ atque pudicitiæ. Uxor formoſa mox non eſt famoſa. Quo ſæpius procreationi incumbunt mulieres, eo magis dilatantur & relaxantur vulvæ tubuli, uteri rugas obliterari docet experientia, quos vaginæ tubulos balneis & unguentis aſtringentibus cogi & contrahi curant: amant enim ſæpius & diutius virgines videri. Alius eſt uteri ſtatus in virgine, alius in diſpoſitâ ad imprægnationem, alius in gravidâ. In fœminis juniotibus, & venerem nondum expertis uteri corpus denſum eſt ac compactum. Si venerem appetant, uterus contractus rareſcit, denſus mollitur, & in humoribus in eo contentis efferveſcentia quædam excitatur. Si concipiant, matricis tubuli magis ac magis emolliuntur & rareſcunt, nedum contrahantur & convellantur, In gravidis non modo uteri ſubſtantia ingentem ſua expanſione & majori craſſitie amplitudinem acquirit, ſed etiam mollior & tenerior eſt. Poſt partum uterus contrahitur, & ſenſim ad priorem denſitatem fere reducitur. Omnium pariter animantium uterus his in ſtatibus diverſis vario modo diſponitur, ut ſpeciei propagatio conſervetur. Etenim longè diverſa eſt uteri conſtitutio in Gallinis, antequam ova pepererint, aut venerem ſint expertæ, & poſtquam ediderunt ova, & Gallum admiſerunt. In iiſdem etiam diverſus obſervatur uteri ſtatus, cum ova pariunt, & cum ab eo munere deſiſtunt, quod per certa intervalla contingit; brumali enim tempore potiſſimum Gallinæ ceſſant ova parere.

II.

CONSTAT omnia à Deo mundi effectore proficiſci, nihil eſſe temerarium, nihil ſupervacaneum, nihil fortuitum. Mares ſunt prima generationis pars, fœminæ altera, non monſtrum. Certis legibus efficitur generatio. In animalibus ſexuum differentia, partiumque, quibus diſtinguntur, copula ad generationem requiritur. Vitæ conſortia omnia ab ovo. Animalium in Vivipara & Ovipara vulgaris eſt diviſio, ſed non rejicienda: illa ovis intrò ad uterum latis incubant, vivoſque in lucem edunt fœtus; Hæc autem ova primùm pariunt, è quibus poſtmodum fœtus naſcuntur. Hujus generis ſunt inter quadrupedes Crocodilus Nili accola, Scincus, Crocodilus minor terreſtriſque dictus, Lacertæ, &c. Ex Serpentibus ſola Vipera vivam edit prolem. His accedunt piſcium innumeræ ſpecies. Notæ ſunt cuivis aves Oviparæ, Ova, quæ abſque marium congreſſu fœmina concipit aut parit, ſpuria ſunt, ſubventanea, infœcunda. Cùm ovi cicatricula ſemine maſculino irrorata eſt, editur ovum genuinum, perfectum, fœcundum. A veris ovis ſubventanea principiis differunt, licet nullum ſit ſenſu judice diſcrimen. Ovi fœcundi parens uterque ſexus, nempe ut in Viviparis, ſic in Oviparis mas & fœmina libidinis œſtu agitantur, ſibi mutuò oculis, voce, geſtu, & organis generationi dicatis blandiuntur, coëunt, ſemenque fundunt. Humor, quo ſæpe rigantur genitalium pomæria in fœminis, œſtrum eſt veneris, lympha ſeminalis, non ſemen. Fœmina ovum largitur pro vero ſemine, mas ſemen ſpiritu turgidum fundit. Fabuloſum eſt, & à veritate maximè alienum, piſcem marem ſequi fœminam parientem, & ejus ova ſuo lacte aſpergere & fœcundare. Citius enim hæc genitura in aquis diſſolveretur, diſpergereturque, quam ovis adhæreret. Piſcium coïtum ob celeritatem, quâ rem veneream perficiunt, affrictum appellant. Sequitur autem mas fœminam, ut eam identi-

dem partitis vicibus ova parituram subigat, contingat, sicque per partes tantam ovorum multitudinem fœcundet: aliter enim quo modo posset genitura in tantum & tam compactum ovorum acervum diffundi, & in omnia ova distribui. Piscium ova foris crescunt, ex aquâ sibi assumunt alimenti partem. Ova Quadrupedum Oviparorum & Volucrum satis & abundè alimenti continent, donec fœtus excludantur, quod cum ovis Viviparorum deficiat, illa in sinu suo suppeditant. In genere animalium Cartilaginea ambigunt inter Ovipara & Vivipara. Siquidem ova perfecta generant, verùm ea in utero servant, ut suo calore foveant, nec ante edunt, quam fœtus excudantur. Celeberrimus Malpighius ante Gallinæ incubatum in ovi fœcundi cicatriculâ, quæ corpus est album lentis magnitudine vitello adhærens, carinam seu rudimentum pulli detexit, quæ carina singulis diebus ac incubatu crescit & post viginti dies veram pulli induit formam. In ovo subventaneo cicatriculam inspexit nullâ carinâ instructam. Albumina & vitellus ovi fœcundi incubatione non corrumpuntur, eundem saporem retinent quamvis imminuta, in iis enim Gallinæ calore & fotu fermentatio vitalis & humorum circuitus temperatur. Ovum vero subventaneum contrariâ de causâ incubatione putrescit. Quid porro mas, quid fœmina ad ovi fœcundationem conferant, nihil est ausus decernere sagax ille naturæ scrutator. Dum enim ab ovo ipso animalium sollicitè perquirit productionem, in ovo ipso jam fere animal miratur excitatum; primum ortum non assequutus, emergentem successivè partium evolutionem expectare cogitur. Unde ergo prima corporis lineamenta & formæ? unde illorum ordo, situs, connexio, continuata & conspirans cognatio? unde imago tenuibus penicilli punctis expressa, sed impolita, ad majorem habet convenientissimum commensûs responsum? Unde ea omnia uniusmodi & similia aut proportionalia in omnibus ejusdem speciei viventibus constanter reperiantur, ad finem consequendum ritè ordinata? Quid partes illas evolvat, intelligitur, motus scilicet vitalis Sed quis pinxit? quis ordinavit? quis ordinandi modus? ignoratur. An mas? Ordinis nescius est. An fœmina? Sola generare posset. An uterque parens? Cœco feruntur impetu, si quo ducuntur consilio, alieno prorsus. An humores & partes solidæ ad id opus conspirant; sed nullius cognitionis sunt capacia. An virtus formatrix, & plastica? nugæ. Pro causa reali voces omnis significationis expertes assignas. An anima parentum in homine? at nullam acquisivit mechanices peritiam, cujus tamen summa est necessitas in eâ fabricâ, quæ continet omnis generis machinamenta summo artificio constructa. An anima ipsius fœtûs? at corporei domicilii structuræ non invigilat, in quo non constituitur nisi absoluto. An materiam suppeditat fœmina, mas vero spiritum vitalem, qui moveat, materiamque sequacem dirigat? At motus quilibet, nisi à primis adumbratis tubulorum staminibus regatur, temerarius est, & nullius efficaciæ ad animalia producenda. Unde enim Bombyx multas metamorphoses passus, rupto demum folliculo, exuviisque depositis Papilionis formâ prodit, avolat, coit, ova parit similium mutationum semina; & postquam generationi inservit, brevi moritur. Unde Ranæ ex Gyrino, Gyrinus ex ovo? unde ex Muscarum ovo Vermis, ex Verme Chrysalis, ex Chrysalide Musca? partes illæ omnes jam in ovo adumbratæ erant, quas succus nutritius motu deinceps explicat, & quas non afficeret, nisi primis staminibus duceretur. Nonne ad acidum & alkali confugiamus? acidum mas est, alkali fœmina, acidum infusum sales alkalicos determinat ad hoc, aut ad illud salsum conficiendum. Quæ comparatio! quanta inter se pugnantia involvit? jungentur jam Gryphes Equis. Pyrotechnici idonei parum, quos hic sequamur auctores: nam qui toti in destruendis corporibus, quâ generentur ratione, sat gnaros vix credam. Ad eos veniamus, qui cæteris altius sapere se putant. Inclusa sunt in primis seminibus omnia ejusdem speciei viventia. Sic volunt in Evæ testiculis inclusam &

conditam fuisse totam Adami posteritatem, & innumeram hominum multitudinem; qui in ipsis seminibus, quæ corrupta sunt, perierunt, & perituri sunt. At qui fieri queat, ut ex Evæ testibus in posterarum ovaria generationis spes tota traduce via immittatur? nescisne multiplici partitione imminuendam ovariorum molem, & ovorum numerum? cur in prolis numerosioris parente ampliores non sunt testes, quam in virginibus, & claustro devotis? Cur non tenuiores in his, quam patrum temporibus. Quis huic distributioni præest? ruent præterea similitudines natorum cum parentibus, & nullæ fient generationes mixtæ. Hanc seminum involutionem Geometra intelligere conabitur, sed imaginatione nunquam comprehendet. Quibus itaque in angustiis versamur? *Mundum tradidit Deus hominum disputationi.* Adeo vel in rebus obviis cæcutit humana ratio, adeo latent, inquit Harvæus, in altâ nocte prima naturæ stamina, & subtilitate suâ non minus ingenii, quam oculorum aciem eludunt. Hactenus incerta & dubia hæc res summis Philosophos torquet difficultatibus.

III.

NODUM hunc Gordianũ si non solvere, saltem secare student novi Philosophi, atque illorũ opinio nunc Medicorum sermone celebratur, quam à Platone profectam falsò supponunt. Docent omnia in ipso mundi principio non solum animalia, sed etiam omnis generis viventia, quæ hactenùs extiterunt, & in posterum futura sunt, fuisse condita in compendio tam exili, ut non modo singula, sed etiam plura illorum millia in unam molem collecta nequeant sensu percipi. Docent infinita hæc corpuscula, quorum singula convenientem habent membrorum conformationem, huc & illuc vaga per aërem volitare, cũ elementis per amplam maris & terræ superficiem dispergi, magnamque illorum copiam promiscuè ab animalibus respiratione & alimentis imbibi, & cum variis humoribus quaquaversùm deferri ac vagari, donec ad marium testiculos perveniant, in quibus ea sola manent integra, & tunicula beneficio moventur vermiculorum in morem, quæ partibus suis convolutis partes perfectorum animalium, quibus insunt, similes referunt, & in quorum testiculis conveniens nutrimentum sal videlicet volatile unicuique mari proprium reperiunt. Docent omnia animalcula à fœminis imbibita consumi propter defectum alimenti: à maribus pariter, quorum semen sanum est, ac vegetum, alia omnia animalcula præter propria elidi; sed si degener illorum sit semen, & in illis scateant succi nutritii degeneres, in his maribus alia prorsus animalcula ob alimenti convenientiam moveri & explicari. Docent tantam inesse vermiculorum copiam soli masculino semini, ut guttula vix arenæ crassitiem æquans, ex animali sano & vegeto desumpta, decies centena millia & amplius animalculorum contineat. Ea microscopio deprehendi in semine maris natantia, tuniculis induta; ea omnia fœminarum utero transfundi, quorum alia fundum, alia tubas, alia ovarium perreptant, atque ex animalculorum masculino semine contentorum tot millibus unum aut alterum maturi ovi cicatriculam subire depositâ tuniculâ, ibique partibus jam omnibus absolutum novo succo præparato nutritum magis ac magis evolvi, & ex Verme in Animal perfectum crescere. Docent in humano genere monstra vel hominis, vel belluæ, vel utriusque referre imaginem. Si duo vermiculi ejusdem speciei in idem ovum penetraverint, quorum aliæ aut aliæ partes confringuntur propter loci angustiam, monstrũ generari bicorpor, biceps in eadem specie, &c. Semiferam esse hominis speciem, si forte fortunâ duo vermiculi, quorum alter hominis, belluæ alter proprius est, in eodem semine moti idem ovũ subierint. Monstrum belluæ speciem habere, quando hominis semen aliquâ de causâ corruptum alterius speciei vermiculis aptos suppeditat ex alimento convenienti motus. Docent in hoc uno systemate positam esse generandi rationem, quæ nihil est aliud, quam nutritio;

quam animalium ab initio mundi creatorum evolutio. Ingeniosum commentum, ingeniosa nutricularum fabula. Enim vero à tot elapsis retro sæculis minutissima hæc corpuscula & tenerrima per aërem volitantia vim tempestatum omnium, caloris, frigoris sustinent integra & illæsa, quorum tamen vi intereunt majora deinceps facta atque fortiora. Omni animantium generi legem natura insevit idoneum eligendi locum, & tempus, in quo ova aut fœtus sic recondant, ut foveri, ali, & tuto asservari possint. Id utique non ratiocinio, sed ipsâ partium conformatione, & necessitate perficitur. Quis non miretur plerarumque avium in nidis ædificandis curam & industriam, & quantos pro tuitione prolis suscipiant animos? Serpentes, Scarabæi ova sua deponunt in fimo, vel juxta furnos, aut aliis in locis, ubi moderatus à quâcunque causâ calor conservatur. Lacertæ, Testudines terrestres sua ova sub terrâ, marinæ sub arenâ occultant, ut subterranei teporis operâ fœtus excludantur. Musca, Culex in eo corpore sua ova relinquunt, è quo ipsa solent nutriri, incitante ad pastum alimenti odore, & determinante ad varios motus, quibus conveniens fiat ovorum excretio & dispositio. Vespæ æstate pariunt, cum fructus maturescunt. Quidam Aranei ova in membranula quadam involuta secum vehunt. Feminæ Asellorum membranulas sub ventre gerunt, quæ multis ovis mense Martio, aut Aprili plenæ sunt, exeunte maio excluduntur fœtus tam multi, ut quandóque vagantes vix numeraveris. Femina Locustarum quasi terebrâ terram recludit, ut ova sua infodiat. Apis sex circiter ovorum millia unoquoque anno in truncis arborum cavis profundit, aut in imâ terrâ, ubi sua fixit alvearia. Quidam Papiliones sua ova in arborum foliis collocant. Aliqua insecta sua ova committunt rimis aut foraminibus exilissimis arborum, saxorum, aliorumve corporum, in quorum cavitatibus propter orificii angustias nullum imminet à flatibus, aut ab aëris externi mutatione periculum. Ad conservationem fœtuum uterus, vel inclusus est, vel expositus: inclusum uterum dicas, qui intra matrum viscera contentus fœtum servat, & nutrit; expositum, qui fœtum involvens à matre excernitur sub ovi nomine, quod eo pluribus membranis involvit natura, quo majoribus mutationibus, & diuturniori tempore opus est ad membrorum incrementum, explicationem, & robur adipiscendum, ut in Papilionibus. Sapienter quidem ea omnia, quæ ad individui, aut speciei conservationem spectant, faciunt animantes non suâ tamen, sed naturæ sapientiâ. Eandem naturam adeo sagacem perpetuo tempestatum furori tenera hæc corpuscula, totius vitæ compendium, commisisse quis credat? aër frequenti tonitru agitatus ova Papilionum & sæpe volatilium corrumpit, pullosque iis insitos enecat. Præterea, cum non omnis ferat omnia tellus, diversa maria pisces diversos, diversus terræ tractus, diversæ cœli conversiones diversa animalia educent, necesse est, ut illi vermiculi, ubicumque dispersi facto agmine, tanquam aves peregrinæ, hos tractus injuriosos fugiant, amicos quærant. A plantis ad animalia non valet analogismus. Nam si concedatur semina plantarum per aërem diffundi, cum succis circumferri, inter florum loculamenta detineri, evolvi, & crescere; liceat quærere, cur fœminæ, in quarum humoribus circunferuntur animalium germina, indigeant alio auxilio, ut fructus ferant. Cur humani vermiculi in mulierum corpora delati consumantur. Nec desunt illis motus, nec fotus, nec fermentatio vitalis, nec sales volatiles, quibus vermes moveri, excludi, evolvi possint, & debeant. Cur quidam ex iis, quos mas infundit, fere semper vitales? cur in mulieribus omne vermium genus foveatur, nutriatur? cur illis febricitantibus sanguis totus verminosus sit? soli vermiculi humani non excludentur? quidni itaque fœminæ fructus ferant suos, ut plantæ! at at nec in plantas, uti nec in fœminas ea germinum circuitio cadit. Arbores aliis inseruntur arboribus, quibus immutatis mutantur & fructus, an diversæ facta insi-

tione plantarum species circumrapiuntur in radicum, & trunci succos? an, ut vult Hippocrates, surculus insitus per tubulos ligneos ad terram usque radices altas agat? quod impossibile. Insitum surculum si amputaveris, primæ florum & fructuum species apparent. Illa forsan mutatio fructuum, & seminum accidit, quod alii typi, seu matrices surculo implantato impressi sint, in quarum matricum sinu succus nutritius vario modo determinatus germen, plumam, radiculam, & pulpam efficit. Inest enim omnibus plantarum seminibus gemmula quædam, cujus si summitas duntaxat puncti instar abrasa fuerit, tollitur illico spes generationis tota.

I V.

PRIMIS creationis diebus ex duobus vermiculis inquiunt, uniuscujusque speciei prima animalia in debitam surrexerunt dimensionem, volente sic Deo. Et cum ex corporibus primorum parentum non excita fuerit, & decidua vermiculorum homunculorum cohors, sed eodem tempore creata, non possunt posteri hâc in sententiâ ullius paternæ labis fieri participes. Neque enim fiunt à parentibus partes ullæ, sed factæ explicantur tantùm. Unde ergo interna & externa cum parentibus natorum similitudo? non parens podagricus podagricum, non epilepticus epilepticum, non phthisicus phthisicum generabit. Alioqui ab ipso creaturæ principio vermiculi facti sunt huic aut illi morbo obnoxii, qui propter quamdam substantiæ similitudinem in testiculis podagricorum, &c. Concluduntur, moventur potius, quam in aliis hominibus. Hinc admittendi sunt vermiculi podagrici, phthisici, epileptici. Pubertatis tempore semen salinis particulis, spirituque volatili turget, ab eo vermiculos, qui in testibus quieti ac otiosi diu latuerant, motum & incrementum accipere, & repere contendunt politiores illi Philosophi. Vivunt ergo illi vermiculi humani. Crescere enim & moveri vitæ summum est argumentum. Et cum Vermis homo suis omnibus partibus & ornamentis decoratus est (nihil sanè ad rem interest, an tuniculâ vestiatur, an spolietur) jam animâ donetur oportet. In omni animalium historiâ nullum perfectò reperias vermem motu gaudentem, qui ovum subeat, ut vivat; nullus repit, qui ovum prius non subierit. Solo materiæ accessu, recessuve, quædam animalcula novam speciem induunt. Sic Gyrinus, sic Eruca è reptanti fit volatile animantis genus. Sic narrant Conimbricenses, in insulâ Gotho apud Japones, animal quoddam esse corporis magnitudine, & figurâ simile cani, quod primo quidem in terrâ vivit. Deinde certo tempore mare incipit frequentare, in coque se natatu assiduo exercens paulatim efformatur in piscem, ac tandem membris jam in piscis figuram compositis, pelago se dat, fitque marina bellua, una de squammigero grege. Accedere non possumus viris clarissimis, qui suspicantur vermiculos animalibus similes in testiculis moveri. Cum enim inspiratu, potius aut alimenti assumptione, aut aëris penetratione, vermiculi cujuscunque generis absorbeantur, cur multiplici, intra tot animalium diversissimæ structuræ corpora, introitu, circuitu, egressu, perenni fermentationis & digestionis motu similes vermiculi non alterentur, elidantur cæteri, cur aliqui in testiculis detineantur, nec motum materiæ subtilis, cujus tenuitatem imitantur, corpora quælibet circumfundentis sequantur? Equus, Taurus, Leo, cæteraque perfectiora animalia semen salibus volatilibus & spiritibus turgidum gerunt, qui sales volatiles tam musculosam vermiculi humani tunicam explicare & movere possunt, quam vermiculi equini. Vis est in illis salibus, nulla est resistentia in illis tuniculis morigeris & obsequentibus, motum undecunque acceptum salium vi lacessitæ retinere debent & exercere secundum proprium & ipsis innatum elaterem. Unde vermiculis humanus sic agitatus in semine Equi admissarii

potest & debet aliquando felicem ovi equini portum attingere, reptabundus est, ut cæteri. Et si idem sit ortus, progressus, & interitus omnium animalium; Si homo infans lacte Bubulo, Asinino, Caprino multoties nutriatur, quidni & intra ovum equinum conceptus vermiculus humanus ali, augeri non poterit, forasque prodire. Quod cum absurdum sit, & nulli hactenus visum; concludendum est vermiculos, unde omnium animalium vitæ; non promiscuè hauriri ab animantibus. Superest itaque ut soli animantibus similes delitescant, & moveantur, quod fieri non potest, nisi illi ab ipso rerum primordio instinctum aliquem habeant, excubias agant, aut ab aliquâ formâ substantiali dirigantur, ut intra corpus & semen bene dispositum admittantur, & innatent; aliter illi eliderentur. Nam, inquiunt, si nostri humores à patriâ virtute degeneraverint, fiunt nidus & fomes vermiculorum speciei diversæ, ex quorum humorum alimento convenienti procreantur diversæ speciei animalia, Lumbrici, Serpentes, Lacerti, Ranæ, Bufones, Scarabæi, Anguillæ, quorum animalium homo degener & infirmus dicendus esset verus pater potius, quam pater hominis alicujus: hujus enim vermiculi tunicam movet duntaxat, illa vero movet, in sinu suo evolvit, nutrit. Necessariâ consecutione intra viscera alicujus animalis explicari & nutriri potest vermiculus humanus. Et cum homines maximâ partem ætate sint affectâ, aut valetudine infirmâ, illi procreare non possent, aut monstra procrearent; quod repugnat experientiæ. Repugnat pariter Lacertorum, Serpentû, in humanis corporibus vermiculos nutriri. Nullum animal excluditur & evolvitur, quod in ovo aliquo non fuerit prius conceptum. Repugnat lue venereâ infectos, non veros fœtus producere, producunt & lue venereâ infectum, qui nutricem eâdem labe contaminat. Deinde impossibile est explicare, quomodo fiat prima seminum nutritio, cum illi Philosophi statuant exilissima seminum corpuscula deferri cum humoribus, aut succo nutritio in memorata receptacula. Quando quidem cum illa semina per eadem colatoria cum succo nutritio trajiciuntur, necesse est ea non esse succi nutritii partibus majora, aliter nequirent per incerniculi ductus percolari. Si itaque totum seminis unius corpusculum non est majus unâ succi nutritii particulâ, quomodo canalibus innumeris est instructum, qui succum illum nutritium admittant. Sed quid ego hæc? cùm vim conclusionum omnium frequens rei ejusdem usus evincat. Certa fides facti est. Infinita propemodum animalcula, quibus vermium spermaticorum nomen inditum est, ope microscopii in animalium semine deprehendit, aut deprehendisse se putavit celebris Batavus Leuvvenhoek, tam parvas lentes ex utrâque parte convexas tam fidas domi servat, gladiolum etiam acutissimum, quo tuniculam vermiculorum detraxit, curiosis ostendit, datumque sibi fuisse tuniculis detractis rudimenta animalium numeris omnibus absolutorum videre se jactitat. Egregium sanè hujus systematis fundamentum. Irridendus ille Batavus cum suo gladiolo. Forte splendido errore nos Microscopia ludunt. Subjecta illorum examini aqua putealis, fontana, lacrymæ, liquores viscidi fluitantes repræsentant vermiculos, qui nihil sunt aliud, quam insitæ liquorum motitationes, quorum particulæ quælibet anguillarum instar moventur à materiâ æthereâ penetrante & circumfusâ, ex quibus sicut ex semine in Boylii machinâ per annum positis nihil quidquam productum est vitale. Ita prorsus filamenta seminis exilia cælestis materiæ motu agitata sunt, larvamque animalculorum Microscopio exhibent. In aceto lente convexâ videntur vermiculi, illorum os, oculi, caput, cauda perspiciuntur. Fatemur ex aceto ovis muscularum pleno prodire fœtus vitales, certis enim temporibus anni ex aceti doliis nigrum Muscarum agmen exit; calore loci, quam per medias hiemes igne & fumo conservant, vita horum vermiculorum prorogatur. Qui calor si ad tempus desinat, brevi intereunt illa animalcula, acetum corrumpunt. Præcipua aceti vis à salium fluore pendet, quorum aculeos & vim caro vermi-

culorum corrupta obtundit. Idem in vermiculis ſpermaticis progreſſus non obſervatur. Sed ſi te in omni animalium ſemine anguiculos deprehendiſſe moroſus ſuſtineas; vide ſis quam tecum bene agam, forſan ſeminali in liquore vis eſt fæcunda, alimentum dulce, facilis ab utroque via quibuſdam ovulis in ſeminalem laticem irrepentibus; jam igitur anguiculos illos decantatos, quæ animalia ſunt perfecta ſui generis pro ſigno tantum fœcunditatis habeas, non pro causâ.

V.

ESTO igitur, ut lubet. Sint vermes. Infinita propemodum germina ad unius animalis perfecti productionem perdere naturam putas? eam in ipſo vitæ limine hominum myriadas trucidare, ut unus in actum erumpat? Ut quid jactura hæc? uſque adeo natura ſimplicitatis & fœcunditatis immemor! Dives opum ſuarum eſt natura, ſed nuſquam viventium profuſa & prodiga, eadem in majoribus, eadem in minimis, ubique ſplendet, ubique ſimilis, ubique admiranda, ubique incomprehenſibilis, ex uno ſemine in generationis opere multa, non ex multis unum. Granum unum ſeminis telluri commiſſum beat agricolas cum fœnore. Piſcis fœmina ovorum fœcundorum infinitam multitudinem deponit præſente mare: inſecta ſe habent eodem modo, dum generationis opus fervet. Sola vivipara ad unum aut alterum fœtum excludendum innumeros vermiculos profundunt. Hîc ego, naturæ matris requiro conſilium. Non ſapit profectò hoc ſyſtema ſanam Philoſophiam. Et quid enim in ipſo naturæ ſinu, in loco calido & tepenti, cujus cavitas longe plures vermiculos continendo par eſt, innumeri intereunt; quidam validiores reptatu tubas Fallopianas aſcendunt, quo inſtinctu ad lacinias tubarum liberas ovariis nec continuas, nec contiguas delati rectam in abdomine viam non perreptant, quo inſtinctu reptatum dirigunt obiquum ad ovaria, ibique ova omnia recognoſcunt, maturoque ovo unus ſe involvit, cæteris dimiſſis. Cauſa enim particularis ad hæc omnia requiritur. Cur qui difficilia hæc loca ægrè ſuperarunt, eodem maturo ovo non ſe condunt, cum diameter foraminis longe major ſit centenis vermiculis. In promptu cauſa eſt, inquis, liquorem cicatriculæ depoſitâ ſtatim ſenectâ ebibit primus vermiculus. Sed organa deglutitioni inſervientia non ſunt evoluta niſi poſt multos dies. Ovum abortivum quindecim dierum excellenti Microſcopio inſpexit Dominus Tauvry, in quo rudia duntaxat quarumdam partium lineamenta diſtinxit, cætera gluten. Denique, cur alii vermiculi aliis ovis per poros non ſe condunt, ibique maturitatem non expectant: fame preſſi forſan intereunt. Fac tamen unum neſcio quâ ratione irrepſiſſe Vermem. Supereſt difficultas inenodabilis. Quomodo vermis jungitur partibus ovi? Unde funiculus umbilicalis formatur, unde placenta? Si minus adhuc te victum fatearis. Quid de diverſa ſexuum ratione? vermiculos alios eſſe fœminas, alios mares, inquis: ſed quid de generationibus mixtis? quando Mulus ex Aſinâ & Equo, aut Equâ & Aſino, Cinirus ex Ove & Hirco, Leopardus ex Leænâ & Pardo, pullus Hybris ex Phaſiano & Gallinâ. Quæ generationes ideo dicuntur mixtæ, quod naturam utriuſque parentis retinent. Nonne ſunt etiam vermiculi mixti, quos mas ſtatim haurit, movet, & fœminarũ utero diverſæ ſpeciei immittit; ſoli enim mares ſemen habent id eſt vermiculos. Quid eſt, quod in afferendis monſtrorum cauſis plauſum ingeminant vermiuoſi ſophiſtæ? in Africâ ad paucos amnes inopia aquarum congregantur Belluæ, ubi mares fœminis diverſi generis miſcentur? ex quibus multiformes animalium partus prodeunt, unde vulgare dictum ſemper aliquid novi Africam afferre: quantò ſyſtema vermium monſtris eſt feracius? in eo enim non requiritur mas & fœmina diverſi generis. Nam ſi homo mas valens optime duos vermiculos ejuſdem ſpeciei in ovum unum immittit, exoritur monſtrum bicorpor, aut biceps, &c. quod perpetuò fieri deberet, in unâ quippe ſeminis guttula tanta homi-

rum multitudo continetur, ut vix numerari possit. Si idem homo fiet infirmus, vermiculum belluinum movet, exagitat, nutrit, jaculatur, hinc monstrum belluinum. Si idem homo sit in statu neutro, ut aiunt, non omninò sanus, non omnino æger, ipsius semen partim refertum est vermiculis humanis, partim vermiculis belluinis, quorum duo idem ovum subeunt, hinc monstrum hominis semiferum. Idem de Leone, de Equo, de Tauro, de Asino dicendum est; est enim eadem utrobique ratio. Quæ, Deus bone! naturæ confusio? quanta debet esse mulierum cura, ut sui conjuges integrâ fruantur valetudine? quanta fœtarum sollicitudo, ut monstra non pariant? utinam tam facilis esset veri inventio, quam falsi convictio. Quid sit generatio difficilius, quam quid non sit, detegitur Homo constat mente & corpore. Mentem corpori organico infundi, & infundendo creari docet Ecclesia Christiana. Errantes animas mutuis conjugum amplexibus transfundi, jungi, ligari, error fasso & aliis studiis occupato ignoscendus, sciret si ignoscere devotum genus. Ex genitura viri & genitura mulieris corpus organicum, Deo sic volente, perficitur. In Domino Deo Creatore distinguenda est duplex voluntas, infinitè sapiens, incomprehensibilis; prima, qua Deus creavit materiam, motumque impressit, cujus beneficio, & legibus summè simplicibus diversæ materiæ partes divisæ & motæ eum in hoc universo locum tenuerunt, quem adhuc obtinent. Secunda, qua viventia, diversas animalium species, & hominem produxit. Nam cum non possint esse primi motus materiæ impressi consecutio quædam & appendix, agnoscenda est in Deo voluntas illa; qua partes ex materia, ex partibus organa, elaterem, convenientiam, habitudinem tanta arte construxit, ut eadem animalia legibus ab ipso semper præsente indictis possint & crescere, & similia producere. *Formavit Dominus Deus ex limo terræ masculum & fœminam, benedixitque illis, crescite & multiplicamini.* Legem eam posuit cunctis & singulis animantibus. Lex est constans ejusdem rei quoad substantiam & modum conditio ab ipso Deo instituta, à quâ velut à causa omnes naturæ effectus confici possunt. Motum & materiam suppeditant mas & fœmina; modum vero, quo ex materia informi effectum sit corpus organicum, ignoramus: novit solus qui nos condidit Deus. Multa nescire magna pars sapientiæ. Voluit Deus, & facta sunt, vult ut continuata fiat generatio, & fit. Quam si voluntatem suam subtrahat, manet omne opus interruptum, mulier inanis est, mas infæcundus. Præteritum non est, sed præsens Dei munus generatio: hæc vim naturæ particularis omnem superat, ad generalem ergo recurrendum.

Deum namque ire per omnes

Terrasque tractusque maris cœlumque profundum.

Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum;

Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.

Hac veritate penitus perculsa prima hominum parens præ gaudio exclamabat, *Peperi hominem per Deum, posuit mihi Deus semen aliud pro Abel.* Ex genituræ maris & fœminæ mixtura deducitur similitudo natorum cum parentibus, explicantur mixtæ generationes ex animalibus diversi generis, modo sit aliqua inter utrumque propoitio. In generatione raro fit nova Elementorum compositio, hinc melancholicus melancholicum generat. Certis igitur legibus ortum animalium, progressus, & interitum astrinxit Dominus

Deus ; ita sapienter & suaviter omnia disposuit, ut assidua licet fiat rerum vicissitudo, eadem tamen sit naturæ facies. Generatio rite definiri potest productio viventis à vivente secundum rationem similitudinis : proindeque seminum errantium evolutio & vermium hæresis rejicienda.

Non ergo homo à Vermibus.

Has Theses proponebat JACOBUS ADVENEL, Oribecæus, Artium Magister, *die Sabbathi 6. Maii, anno* 1713. *ab horâ octavâ usque ad meridiem.*